Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars I.

Wien, 1793 Seite 1059

Quelle:
Copyright:

Fol. et *pag.* iisd. *Liber boecij de bono ad Johannem dyaconum.* Initium: *Postulas ut ex ebdomadibus nostris* &c. Finis: *alia aliud, omnia bona.* In edit. *An omne, quod est, bonum sit, cum non sint substantialia bona.*

Fol. 149. absque titulo: *Fidei Confessio sive brevis Institutio Christianae Religionis,* quam jam *Trithemius* sub nomine *de Fide ad Johannem Diaconum* n. 201. designavit; primus vero sacris *Boethii* Opusculis adjecit editis cum *LL. de Consolatione Philosophiae Lugd. B.* 1656. 8. *Renatus Vallinus* praevertens *Phil. Labbeum,* qui idem habebat propositum, ut ait T. I. *de Scriptt. eccl. Paris.* 1660. p. 206. 8. Initium est: *Christianam fidem noui ac ueteris testamenti pandit auctoritas* &c. et finis: *cibus opus laus perpetua creatoris.* Subjuncta est in *Cod.* nostro breuis *Narratio* de erroribus *Eutychis* et *Nestorii,* quae unam et mediam *col.* occupat et incipit: *Flauianus episcopus prodidit euticben hereticum sub dioceſi et parrochia sua presbiterum* &c. finitque: *Vnde in antiphona cantatur non commixtionem passus neque diuisionem.* Quod si quis Narrationem hanc *Prooemium* sequentis Opusculi dicere voluerit, non me habebit invitum. Sequitur enim

Fol. 151. absque titulo *Boethii aduersus Eutychen et Nestorium de duabus naturis et una persona Christi liber,* ut in editis inscribitur. Inchoat: *Anxie te quidem diu sustinui* &c. et finit: *atque omnium bonorum causa perscribit.* Ad *Johannem Diaconum* supra dictum scriptus est. Vide et *Cod.* CCCXXXI.

Fol. 156. p. 2. absque titulo Opusculum *de Unitate et Uno,* quod incipit: *Unitas est qua unaqueque res una esse dicitur* &c. et finit: *et est id quod est.* Metaphysicum est potius, ideoque inter sacra a *Vallino* non receptum; extat tamen in editionibus *Opp. omn. Boethii* exempli caussa *Basileae* 1546. p. 965. f.

III. *fol.* 158. *Incipiunt capitula libri primi sancti ysidori episcopi de summo bono.* Opus alias inscriptum: *Sententiarum Libri III.* a primis L. I. C. 1. verbis: *Summum bonum deus est* &c. denominationem illam tulit. Ante L. II. desunt *Summaria.* L. I. c. *de Ecclesia et Haeresibus* nobis in duo dividitur. Ultimum inscriptum *de Penitentibus* non habetur in edit. *Jacobi Du Breul Paris.* 1601. f. ut jam ad *Cod.* CCLXXII. monuimus. L. III. c. 48. quod in edit. *de Praelatis* inscribitur, rectius apud nos *duo* Capita constituit unum *de Praelatis,* alterum *de Regibus.* Ita et C. 50. titulo *de patientia Principum* rectius cum nostro in duo dividitur: *de patientia Principum* et *de delictis Principum.* Neque in sequentibus divisiones *Capitum* exacte cum impressis conveniunt.

IV. *fol.* 204. p. 2. *Incipit liber soliloquiorum sancti ysidori.* Praemittuntur eadem, quae *Cod.* mox *cit.* indicavimus. *Rubricae* per decursum penitus a divisione

Capitum